Edm. Arnould

Menandraei Plocii argumentum

1842

BIBLIOTHÈQUE INDUSTRIELLE.

EN VENTE.

Chimie . . . . Par MM.	*Desmarest.*
Art du Géomètre-Arpenteur	*Guy.*
du Fabricant de porcelaine	*Bastenaire.*
du Jardinier	*Mérault.*
du Teinturier	*Bergues.*
de l'Ébeniste.	*Lepage.*
du Charpentier	*Lepage.*
Minéralogie.	*D. L.*
Astronomie	*Quetelet.*
Métallurgie	*Dedli.*
Perspective des Ouvriers	*Isabeau.*
Histoire descriptive de la Machine a vapeur	*Stuart.*
Botanique du Droguiste	*Thompson.*
Guide du Vétérinaire.	*Goodwin.*
Guide manuel de l'Épicier-Droguiste . . .	*Isabeau.*
Le Propriétaire des Vers a soie	*Dandolo.*

OUVRAGES DE FONDS ET EN NOMBRE.

Traité de l'Éclairage	*Peclet.*
Traité de la Typographie.	*Fournier.*
Description des Machines pour filer et tisser le cotons	*Guest.*
Cours de Chimie et de Physique	*Peclet.*
Manuel du Fermier	*Delpierre.*
Manuel de Morale.	*Delpierre.*
Mémoire sur les Roues hydrauliques	*Poncelet.*
Géométrie des Courbes	*Bergery.*
Géométrie appliquée a l'Industrie.	*Bergery.*
Arithmétique appliquée aux spéculations commerciales et a l'Industrie	*Voisard.*

MENANDRÆI PLOCII

ARGUMENTUM

EX DIVERSIS FRAGMENTIS RESTITUERE TENTAVIT

Edm. Arnould,

AD HUMANIORUM LITTERARUM STUDIA AGGREGATUS.

LUTETIÆ PARISIORUM.

M. DCCC. XLII.

ANGERS. — IMPRIMERIE DE COSNIER ET LACHÈSE.

DE MENANDRÆO PLOCIO.

Tentanti mihi, ex quibusdam fragmentis ab Aulo Gellio servatis et quadam scriptorum latinorum cum græcis collatione ab eodem adumbrata, Menandræi Plocii argumentum restituere, vel potius præcipua fabulæ lineamenta describere, venia primum requirenda est, ne nimis difficile atque arduum, tanto oneri impar, opus temere aggressus esse videar. Mihi tamen hanc viam ingresso si non ultra datur, alii forsan, me quadam præeunte tenus, longius progredientur; neque ego, si hoc pro virili parte assequi liceat, ut molem reparandi scriptoris eximii, quem fere vetustatis invidia abolevit, posterioribus criticis

leviorem transmittam, nihil ideo me effecisse arbitrabor. Quod si quis hanc materiam, antequam ipse susciperem, me quidem inscio, tractaverit, non idcirco, ut opinor, aut actam rem agere, aut alienis vestigiis intempestive insistere arguar, aut in æquorum judicum veniam vituperationem. Omnia enim fragmenta, et quotquot extant, comœdiæ locos atque indicia, quibus usi rem perficere potuissent, et ego habui in manibus (1): talia autem cum indagarem, et membra fabulæ quasi trunca ac disjecta ad priorem formam, si fieri potest, reducere conarer, operæ pretium facturus mihi visus sum, si ratione ac mente et, quantulacumque sit, sagacitate uterer, ut, etiamsi quando erraverim, quædam tamen conjiciendo nova commodaque possem invenire.

In tali re duplex est probandi genus; alterum certis indiciis, alterum vero conjectura nititur. Omnia, quæ ad propositum nostrum spectant, apud Gellium in libri secundi vicesimo tertio capite continentur: nempe Gellius quibusdam Menandrææ fabulæ locis Cæcilianæ imitationis locos eosdem comparat. Quæ autem conjectura tan-

(1) Vid. Academ. Inscript. Comment., tom. XLVI, pag. 183, Rochefortii dissertationem, qua duplices Terentii fabulas, Andriam et Eunuchum, ad simplicem Menandræarum fabularum formam reduxit.

tum assequi possim, quum ex diversis ejusdem fabulæ fragmentis traham, si græca, a Stobæo, si latina, a Nonio servatis, tum ex ratione qua antiqui, Terentius præsertim, elegans ille Menandri imitator, in componendis comœdiis, utebantur, deinde ex variis veterum scriptorum de ipso Menandro judiciis, denique ex verisimilibus, id est ex istis quæ, si solam artem et rationem spectes, e certis et inter se congruentibus indiciis legitime inferuntur. Ex noto igitur ad ignotum, ex iis quæ certa ac vera patent ad ea quæ animo tantum et conjectura comparare possumus, procedam. Quanquam vereor ne frigidiore exponendi genere utar, et exquisitissimum istum Menandræi, vel, ut vere dicam, græci ingenii florem gravi interpretatione obruam.

Etsi primo aspectu rationi consentaneum esse videtur, eum, qui ejusmodi rem suscipit, a titulo explicandi initium facere, tamen qua de causa *Plocium*, seu *Monile*, inscripta sit comœdia, in aliud tempus explanare differam. Fabularum enim scriptores quum titulos e visceribus rei sumere solitum habeant, rectius ac tutius me acturum esse arbitratus sum, si non prius hunc locum tractarem quam in istam fabulæ partem pervenissem, unde titulus oriatur. Qualicumque igitur proloquio omisso, pergam et ipsam rem agam.

Primum omnium, istud noctium atticarum caput transcribam, in quo certa indicia, ac quasi litis instrumenta includuntur. Nempe in hoc locupletissimo suo et lepidissimo tot tamque diversarum rerum thesauro, omnis ille antiquitatis studiosus interpres, idem et latinarum græcarumque litterarum investigator diligentissimus, cum plurimos utriusque linguæ auctores inter se sæpius compararet, non potuit non Menandrum nostrum laudare, et cum latinis fabularum comicarum auctoribus conferre, ut et alias Marcum Tullium cum C. Graccho et M. Porcio Catone, et tum quidem minus callide, contulit. Quum autem nihil fere in hoc capite Gellius scripserit, quod non ad hujus disceptationis argumentum congruenter pertineat, locum integrum protuli, ratus scilicet me firmiore deinde gradu processurum, et rem denique planius ac clarius expositurum.

« Comœdias, ait Gellius, lectitamus nostrorum poetarum sumptas ac versas de Græcis, Menandro ac Posidippo aut Apollodoro aut Alexide, et quibusdam item aliis comicis. Neque quum legimus eas, nimium sane displicent, quin lepide quoque et venuste scriptæ videantur, prorsus ut melius posse fieri nihil censeas. At enim si conferas et componas græca ipsa, unde illa venerunt,

ac singula considerate atque apte junctis et alternis lectionibus committas, oppido quam jacere atque sordere incipiunt, quæ latina sunt : ita græcarum, quas æmulari nequiverunt, facetiis atque luminibus obsolescunt. Nuper adeo usus hujus rei nobis venit. Cæcilii Plocium legebamus; haudquaquam mihi et qui aderant displicebat. Libitum est Menandri quoque Plocium legere, a quo istam comœdiam verterat. Sed enim postquam in manus Menander venit, a principio satim, di boni! quantum stupere atque frigere, quantumque mutare a Menandro Cæcilius visus est! Diomedis hercle arma et Glauci non dispari magis pretio æstimata sunt. Accesserat dehinc lectio ad eum locum, in quo maritus senex super uxore divite atque deformi querebatur, quod ancillam suam, non inscito puellam ministerio, et facie haud illiberali, coactus erat venundare suspectam uxori quasi pellicem : nihil dicam ego quantum differat : versus utriusque eximi jussi, et aliis ad judicium exponi. Menander sic :

Ἐπ' ἀμφότερα νῦν, ἵν' ἐπίκληρος ἡ γυνὴ
μέλλει καθευδήσειν κατεργάσασα μέγα
καὶ περιβόητον ἔργον· ἐκ τῆς οἰκίας
ἐξέβαλε τὴν λυποῦσαν ἣν ἐβούλετο,
ἵν' ἀποβλέπωσι πάντες εἰς τὸ Κρωβύλης
πρόσωπον (ἥ γ' εὔγνωστος ὥς μ' ἔχει γυνὴ
δέσποινα) καὶ τὴν ὄψιν ἣν ἐκτήσατο·

ὄνος ἐν πιθήκοις τοι τὸ λεγόμενόν ἐστι δὴ
τουτί· σιωπᾶν βούλομαι τὴν νύκτα τὴν
πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν. Οἴμοι Κρωβύλην
λαβεῖν ἔμ᾽, ἑκκαιδεκατάλαντον, [ὦ θεοὶ],
γύναιον οὖσαν πηχέως. Εἶτ᾽ ἔστι τὸ
φρύαγμα πῶς ὑπόστατον; μὰ τὸν Δία
τὸν Ὀλύμπιον καὶ τὴν Ἀθηνᾶν, οὐδαμῶς.
Παιδισκάριον θεραπευτικὸν δὲ καὶ λόγου
τάχιον, ἀπάγεθ᾽ ὧδε, τίς ἄρ᾽ ἂν εἰσάγοι;

Cæcilius autem sic :

Sen. Is demum miser est, qui ærumnam suam nequit
Occultare. Ma. Ferre ita me uxor forma et factis facit.
Si taceam, tamen indicium est. Quæ, nisi dotem, omnia
Quæ nolis, habet. Qui sapit, de me discet ; qui, quasi
Ab hoste captus, libere servio, salva urbe atque arce.
Quæ mihi quidquid placet, eo privat ; tu vin, me servatum?
Dum ejus mortem inhio, egomet vivo mortuus
Inter vivos. Ea me, clam se, cum mea ancilla ait
Consuetum. Id me arguit. Ita plorando, orando,
Instando, atque objurgando, me obtudit, uti eam
Venundarem. Nunc, credo, inter suas æqualis
Et cognatas sermonem serit : Quis vestrarum fuit
Integra ætatula, quæ hoc itidem a viro
Impetrarit suo, quod ego anus modo
Effeci, pellice ut meum privarem virum?
Hæc erunt concilia hodie. Differor sermone miser.

Præter venustatem autem rerum atque verborum in duobus libris nequaquam parem, in hoc equidem soleo animum attendere; quod quæ Menander præclare et apposite et facete scripsit, ea Cæcilius nequaquam potuit, ne quidem conatus est, enarrare; sed quasi minime probanda

prætermisit, et alia nescio quæ mimica inculcavit, et illud Menandri de vita hominum media sumptum simplex et verum et delectabile, nescio quo pacto, omisit. Idem enim ille maritus senex cum altero sene vicino colloquens, et uxoris locupletis superbiam deprecans, hæc ait :

α'. Ἔχω δ' ἐπίκληρον Λάμιαν, οὐκ εἴρηκά σοι
τοῦτ'; εἶτ' ἄρ' οὐχί; κυρίαν τῆς οἰκίας
καὶ τῶν ἀγρῶν· καὶ τῶν πατρῴων ἀντικρὺς
ἔχομεν, Ἄπολλον, ὡς χαλεπῶν χαλεπώτατον.
Ἅπασι δ' ἀργαλέα 'στὶν, οὐκ ἐμοὶ μόνῳ,
υἱῷ πολὺ μᾶλλον, θυγατρί. Β'. Πρᾶγμ' ἄμαχον λέγεις,
εὖ οἶδα.

Cæcilius vero hoc in loco ridiculus magis, quam personæ isti, quam tractabat, aptus atque conveniens videri maluit. Sic enim hæc corrupit :

Sen. Sed tua morosane uxor quæso est? Ma. Quam rogas?
Sen. Qui tandem? Ma. Tædet mentionis : quæ mihi,
Ubi domum adveni ac sedi , extemplo savium
Dat jejuna anima. Sen. Nihil peccat de savio.
Ut devomas volt quod foris potaveris.

Quid de illo quoque loco in utraque comœdia posito existimari debeat, manifestum est, cujus loci hæc ferme sententia. Filia hominis pauperis in pervigilio vitiata est. Ea res clam patre fuit; et habebatur pro virgine. Ex eo vitio gravida mensibus exactis parturit. Servus bonæ frugi, quum

pro foribus domus staret, et propinquare partum herili filiæ, atque omnino vitium esse oblatum ignoraret, gemitum et ploratum audit puellæ in puerperio enitentis : timet, irascitur, suspicatur, miseretur, dolet. Hi omnes metus ejus affectionesque animi in græca quidem comœdia mirabiliter acres et illustres : apud Cæcilium autem pigra hæc omnia et a rerum dignitate atque gratia vacua sunt. Post, ubi idem servus percunctando quid acciderat reperit, has apud Menandrum voces facit :

> Ὦ τρὶς κακοδαίμων, ὅστις ὢν πένης γαμεῖ
> καὶ παιδοποιεῖθ'. Ὡς ἀλόγιστός ἐστ' ἀνὴρ,
> ὃς μήτε φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων ἔχει,
> μήτ' ἂν ἀτυχήσας εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου
> ἐπαμφίεσθαι τοῦτο δύναται χρήμασιν,
> ἀλλ' ἐν ἀκαλύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ
> χειμαζόμενος ζῇ, τῶν μὲν ἀνιαρῶν ἔχων
> τὸ μέρος ἁπάντων, τῶν δ' ἀγαθῶν οὐ δυνάμενος.
> ὑπὲρ γὰρ ἑνὸς ἀλγῶν ἅπαντας νουτεθῶ.

Ad horum autem sinceritatem veritatemque verborum an adspiraverit Cæcilius, consideremus. Versus sunt hi Cæcilii trunca quædam ex Menandro dicentis et consarcinantis verba tragici tumoris :

> Is demum infortunatus est homo
> Pauper, qui educit in egestate liberos :
> Cui fortuna et res, ut est continuo patet.
> Nam opulento famam facile occultat factio.

Itaque, ut supra dixi, quum hæc Cæcilii verba seorsum lego, neutiquam videntur ingrata ignavaque; quum autem græca comparo et contendo, non puto Cæcilium sequi debuisse, quod assequi nequiret (1). »

Ea sunt præcipua dijudicandæ litis instrumenta. Reliquis, prout occasio inciderit, utemur. Interea quæ ex loco citato conjicere liceat auguremur : primo, quot et quales in fabula personæ fuerint, deinde quid suo quæque pro ingenio aut natura egerit. Nobis quidem sex in dramate personæ apparent et loquentes et agentes, quibus nomina, ne obscurior fiat oratio, imponemus :

1° Senex quidam, Simo, Crobylæ, divitis atque deformis mulieris, maritus, quam dotis causa duxit, non uxorem, sed dominam, qua jubente ancillam suam, non inscito puellam ministerio et facie haud illiberali, coactus est venundare, suspectam Crobylæ quasi pellicem.

2° Homo pauper, Menedemus, Simonis vicinus, qui ex agris in urbem commigravit, quod satis patet ex his ejusdem fabulæ a Stobæo servatis (2) :

(1) Lib. II, c. 23.

(2) Serm. XCVI, 20. — Cleric., p. 156.

Ὅστις πένης ὢν ζῆν ἐν ἄστει βούλεται,
ἀθυμότερον ἑαυτὸν ἐπιθυμεῖ ποιεῖν.
Ὅταν γὰρ εἰς τρυφῶντα καὶ σχολὴν ἄγειν
δυνάμενον ἐμβλέψῃ, τότ' αὐτὸν ἔστ' ἰδεῖν
ὡς ἄθλιον ζῇ καὶ ταλαίπωρον βίον.

Atque ex his apud eumdem continuo sequentibus, et ad istum fabulæ locum procul dubio pertinentibus :

Κακῶς ὁ δεσπότης βεβούλευται πάνυ.
Ἐν ἀγρῷ γὰρ οἰκῶν οὐ σφόδρ' ἐξηλέγχετο
τῆς μερίδος ὢν τῆς οὐδαμοῦ τεταγμένης,
εἶχεν δὲ παραπέτασμα τὴν ἐρημίαν.

Menedemum vero illum, ejusdem sane mali non ignarum, qui vicino Simoni, de acerba uxore querenti, dicebat :

Εὖ οἶδα, Πρᾶγμ' ἄμαχον λέγεις,

præteriti potius mali memorem, quam præsentis conscium, respondisse suspicor. Superest enim Cæciliani Plocii versus,

Placere occœpit graviter postquam est mortua (1),

qui, nisi a Menedemo dictus fuerit, nescio a quo dici convenienter potuerit. Nam de viva uxore, non mortua, queritur Simo, nec verisimile est tertium senem in fabula, et eumdem maritum a

(1) Nonius, in *graviter*.

Menandro fuisse positum. Sunt et quædam Parmenonis, Menedemo servientis, verba,

> Ὦ τρὶς κακοδαίμων, ὅστις ὢν πένης γαμεῖ
> καὶ παιδοποιεῖτο,

tali modo disposita, ut τὸ γαμεῖ ideo tantum usurpatum esse videatur, ut τὸ παιδοποιεῖτο adducat. Non enim uxoris causa Menedemus est miser, aut Menedemi Parmenonem miseret, sed filiæ, quæ in pervigilio (1) clam patre est vitiata, et ex eo vitio gravida, mensibus exactis, parturit. Gravius, opinor, in τῷ γαμεῖ institisset, si uxorem, non filiam, significare voluisset. Hæc autem filiæ, Pamphilæ nomine, persona, totius quidem dramatis nodus, vix tamen inter agentes fabulæ personas annumerari debere videtur, quippe quæ in græcam scenam, qualem Menander et nova comœdia instituerant, procedere decenter nequiverit.

3° Parmeno, Menedemi servus, bonæ frugi, ut Gellius ait, rara avis in terris, hoc est in græca et latina comœdia, et in nostra, utile tamen hujus fabulæ instrumentum, in qua satis suavitatis reperies, etiam si istam servorum et

(1) Cf. Plaut. Aulul., act. IV., sc. X, v. 64.

Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiæ.

famularum garrulitatem maledicentiamque et pravam industriam removeas.

4° Crobyla, morosa et difficilis Simonis uxor, non nobis nisi ex mariti questibus nota, sed præcipuas, ut opinor, in dramate partes agens; nam si probum servum et duos tantum senes admittas, nec varias artes et impedimenta miscere, nec diversos hominum mores et ingenia describere possis, quibus artibus et impedimentis, quaque varietate carere nullo modo potest

> Fabula quæ posci vult et spectata reponi.

5° et 6° Aeschinus, Simonis filius, et Antiphila, Aeschini soror. Filium enim habet Simo, et filiam, quos sane non commemorasset, nisi partes in fabula egissent.

> Ἅπασι δ' ἀργαλέα 'στὶν, οὐκ ἐμοὶ μόνῳ,
> υἱῷ πολὺ μᾶλλον, θυγατρί (1).

Quod omnino verisimile est, modo paululum attendas. Non enim dicit, uxorem tam filio filiæque quam marito molestam ac difficilem, sed multo iisdem molestiorem ac difficiliorem esse. Quorsum illæ spectarent querelæ, nisi filius ac filia quasdam rei partes gessissent. Simo enim,

(1) Meineke, Men. et Phil. Rel. υἱῷ, πολὺ μᾶλλον θυγατρί. Eadem interpunctione utitur Gronovius. Dübner vero, quem secutus sum, videtur mihi fabulæ argumento aptius interpunxisse.

quum totus in eo sit, quod morosam uxorem patiatur, non istud quod sibi proprium est liberis suis attribuisset, si liberorum curas, suarum tantummodo curarum cumulum, non vero fabulæ instrumentum, exprompsisset. Quippe ea constans et rationi congrua artis scenicæ lex est, ut personæ semper, si qua in scenam nova prodeat, præparatus fuerit aditus, neque ulla quod ad delectandum aut commorendum singulare ac proprium habeat, in alias unquam transferat. Cæterum, perspicuum est ne filium quidem et filiam Simonem singulatim nominaturum, sed liberos uno et indiscreto verbo designaturum fuisse, si se potius propter liberos infeliciorem significare, quam liberos ipsos ut futuros dramatis actores designare in animo habuisset.

Erant forsan in Plocio et aliæ insuper personæ minores, famuli et famulæ, præsertim famulæ, Pamphilæ parturienti, vel Crobylæ et Antiphilæ servientes, minimi certe ponderis et momenti in ista Menandræa comœdia, quæ, si tot et tam gravibus antiquorum testimoniis fidem damus, non simplicitate minus quam venustate eminebat. Hæc igitur, inania quidem, omittam, quæ, si utilissima forent, frustra tamen eniterer assequi.

Quum totidem fuerint in fabula personæ, et

proprium singulæ ingenium atque indolem a poeta acceperint, superest ut omni ratione quæramus quo modo egerint et inter sese varias res et affectus miscuerint. Videmus sane duos vicinos senes, duasque puellas, quarum altera intemerata adhuc est, altera vero vitiata fuit, servum, juvenem, morosam uxorem eamdemque morosam matrem; sed quo nodo eæ omnes personæ inter se cohærent et religantur? Duæ sunt familiæ, quarum utriusque pater et dominus sua certe negotia habet, suas curas et sollicitudines, unus filiam, ante nuptias gravidam et parturientem, alter, uxorem, deformi vultu et acerba indole mulierem, unde satis et motus et delectationis fabulæ fuisse non immerito concludi possit. At duæ illæ familiæ communiter, non singulatim agere debuerunt; alioqui duæ fabulæ in una comprehensæ fuissent, quod in omni tempore absurdum, atque omnino a pura ac quasi nuda hujus temporis arte abhorret. Quo autem nodo religatæ in unum coaluerint, non cum ita magna difficultate explanari posse videtur, si quidem, rebus atque ipsis indiciis deficientibus, sola argumentandi ratione uti, et pro vero verisimile possumus adhibere.

Hinc apparet puella quæ, clam patre vitiata, pro virgine habetur, et in eo est ut parturiat;

illinc juvenis, quem nobis Simonis patris unum tantum, magni tamen momenti verbum patefacit. Filium enim ostendit nobis, matris injuriis objectum, quæ dives est, et acerbissima. Quæ autem filium cruciandi gravior, aut aptior istiusmodi mulieri causa incidere posset, quam filii amor erga filiam egentis hominis indotatam. Inde iræ et contentiones, ad quas pertinere videtur hic Cæciliani Plocii versus :

Tu nurum non vis odiosam tibi esse, quam rarenter videas (1).

Præterea, quoties in græcam et latinam comœdiam puella quædam introducitur, cui vitium oblatum est, nemo certe nescit quis rei futurus sit exitus. Quis enim Plautinæ Aululariæ exitus? Quis omnibus, non tantum dicam scenæ antiquæ, fabulis, sed et recentioribus et nostris? Nuptiæ. Is enim exitus et moribus maxime idoneus et utilis, et spectatoribus simul est jucundissimus, qui dulci quadam perfusi voluptate, peracta fabula, recedunt, quum jam illos quibus timuerant beatos ac voti compotes relinquunt. Sed quis puellæ fuerit vitiator et maritus vitiatæ futurus sit, nobis nunc, ne a comicorum more aberremus, est explanandum. Credo non parvi

(1) Nonius, in *rarenter.*

adjumenti fore, in hac explanatione, Terentii, hujus dimidiati Menandri, Hecyram, quæ quasi altera Plocii pars fuisse videtur. Non tantam sana poetæ antiqui varietatem in comœdiarum inventione adhibuere, ut conjectura a veritate nimis abhorreat, eamdem materiam iterum a Menandro fuisse tractatam, quum præsertim quo loco Plocium desinit, eo ipso Hecyra incipiat. Unde augurari liceret ante Hecyram Plocium in scenam prodiisse, etiam si non altera mihi esset hoc idem conjiciendi causa, quum considero et minus ingenuam, ut ita dicam, Hecyram esse, et magis a consueta vitæ imagine alienam, et ideo posteriori tempore, marcente jam quasi primo hujus materiæ flore, ex poetæ ingenio evasisse (1). Nec mirum Menandrum bis iisdem vestigiis institisse; poetam enim constat, si hominum mores describit et varias personas in scenam traducit, persæpe postquam sumptum sibi argumentum quodam modo, quadam facie observatum tractavit, deinde quasi alteram ejusdem argumenti faciem animo

(1) Si quis miretur Terentium, quum duorum argumentorum alterum potuerit eligere, pejus tamen, ut videtur, id est Hecyram, elegisse, hoc tantum meminerit Plocium jam prius a Cœcilio fuisse usurpatum, neque ideo rursus a Terentio usurpari potuisse. Non is illi mos erat, ut ipse testatur, Adelph. Prol. Cæterum Hecyra, tertium edita, tunc solummodo placuit. Vid. Hecyr. Prol.

concipere, quam novis coloribus depictam, non nimis tamen priori dissimilem, spectandam hominibus producat. Quid autem veri in hac conjectura sit peritiores videant; ego ad propositum redeo.

Est ergo in Hecyra, ut in Plocio, puella, nomine Philumene, quæ, postquam ab ignoto vitiata fuit, in matrimonium Pamphilo datur. Illam Pamphilus, postquam repugnante animo et alio amore occupatus duxit, duobus mensibus non attingit, ut qui uxorem repudiare et patri intemeratam velit reddere. Ubi vero eximia puellæ festivitate illectus amare eam cœpit, in longinquam peregrinationem, coactus a patre, proficiscitur, unde domum septimo mense post nuptias regressus, Philumenen invenit parturientem. Totus fabulæ nodus hoc immaturo partu implicatur. Omnia tamen prospere eveniunt. Annulum virgini vitiatæ detractum Pamphilus Bacchidi meretrici dedit, et Philumene Bacchidis digito annexum recognoscit. Inde nodus solvitur; inde Pamphilus et puerum sustollit et pueri matrem amplectitur. Ergo post nuptias Hecyra, ante nuptias Plocium incipit; Hecyræ annulus finem facit, Plocio.... Plocium (1). Etenim si Aeschini

(1) Meineke, Men. et Phil. Reliquiæ, p. 148, ed. 1823. Col-

erga Pamphilam amorem pro certo admittimus (quid vero obstat quin pro certo admittamus?) perspicuum est, 1° nodum fabulæ fore arcte implicitum, et varios inde futuros esse juveni affectus, quum ipsi et curæ et impedimento sint, hinc mater, quæ indotatam nurum aspernatur, illinc Pamphilæ partus improvisus; 2° prosperum ac felicem istis curis et impedimentis fore exitum, dummodo quacumque via ac ratione Aeschinus compertum habeat se et puellæ vitiatorem et pueri patrem esse. Quo autem modo hoc simplicius Menander assecutus fuisset quam Plocio, seu monili, quo titulo fabula inscribitur? Quemadmodum igitur in Hecyra annulum Pamphilus Philumenæ, quum illi vim afferret, detraxit, ita, in Plocio, monile Aeschinus Pamphilæ, quum illam vitiaret, subduxit. Necesse est enim aut hoc ipso, aut alio quocumque modo stupratam a se puellam et eamdem pueri matrem agnoscat. Rationem vero, qua hanc agnitionem monile adduxerit, non valde eidem Hecyræ loco dissimilem fuisse arbitror; imo suspicor Aeschin sororem, Antiphilam, ut hoc solum ageret, fa-

lare, hoc enim est τὸ πλόκιον, plus una ratione solvendo actionis nodo inservire potuit.

Cf. Plaut. Cistell., Rudens. Cistella et vidulo utriusque fabulæ nodum solvit.

bulæ intervenisse. Annulum Philumenæ per vim noctu detractum Pamphilus Bacchidi dedit; quid obstat quin Antiphilæ sorori monile simili modo comparatum Aeschinus dedisse supponatur? Longius ne a vero errare videremur, qui hoc conjiceremus, Antiphilam scilicet, dum ægrotantem vicinam inviseret et datum sibi a fratre monile gereret, Pamphilæ manifestum vitiatoris indicium præbuisse? Multa certe et diversa accidere potuerunt, nec in tali re quidquam affirmare satis sanum esset.

Nunc vero, quidquid hoc est, in dubium venit utrum antequam Pamphila peperisset an post partum Aeschinus per sororem simul et monile, ut ego suspicor, aut tantum per monile, quod verisimillimum, credo, videbitur, vitiatam a se virginem agnoverit. Si ante partum, propter hoc solum Aeschinus amat et Pamphilam sibi uxorem poscit, matrique obstanti adversatur; si post partum, duplex est nodus, tum quia ex improviso virginis amatæ partu in suspiciones, et sollicitudines, et iras et hujus modi affectus Aeschinus incidit, tum quia illi cum matre nihilominus luctandum est. Hanc ego opinionem priori anteponendam puto, quæ et arti simul et græco componendarum fabularum mori magis congruat. Sic ego titulum, non ullo sine dubio, sed pro-

babiliter explicari posse arbitror, quod in tali re desiderari solet.

Quibusdam tamen visum fuit monile allegorice admissum pro titulo fuisse, quod antiquorum scriptorum ingenio, præsertim comicorum, scenicæque consuetudini minime consentaneum judico. Omnes enim titulos sumptos videmus vel e re aliqua fabulæ adjuncta (Rudens, Clypeus, Eunuchus, Depositum, Annulus); vel ex unius in dramate agentium personarum patria aut conditione (Pænulus, Persa, Andria, Perinthia, Auriga, Fidicen, Navicularius); vel ex indole quam scriptor suscipit delineandam (Miles gloriosus, Superstitiosus, Odiosus); vel ex ipsa re, ex ipso fabulæ argumento per titulum declarato (Heauton-Timorumenos, Orbam ducens, Bis decipiens); vel ex proprio nomine (Thrasyleon, Phormio, Thaïs) etc (1). Sed ne unum quidem allegoricum comœdiæ titulum apud Latinos reperias; unoque in Aristophane apud Græcos allegorica nomina pro titulis usurpantur. Non autem ipso titulo

(1) Ex Plauto sumpti sunt tituli : Rudens, Pænulus, Persa, Miles gloriosus; e Terentio : Eunuchus, Andria, Heauton Timorumenos, Phormio; e Menandro : Clypeus, Depositum, Annulus, Perinthia, Auriga, Fidicen, Navicularius, Superstitiosus, Odiosus, Bis decipiens, Thrasyleon, Thaïs; e Philemone : Orbam ducens.

constat allegoria, sed Choro (Ranæ, Aves, Vespæ, Nubes), ad quem manifestandum adhibetur.

Hac conjectura remota, necesse est ex aliqua rerum quibus inter se junctis et conglutinatis fabula fit, titulus usurpetur. Quæ autem res posset commodius in hunc usum adhiberi quam Plocium illud, aut monile, cujus indicio ductus, Aeschinus, pro æterno scenæ antiquæ more, vitiatam a se virginem ac futuram uxorem agnoscit? Quanquam cætera de titulo statui omittere, non illum tamen locum prius deseram quam hoc leviter attigerim, scilicet qua causa tot ingenuæ virgines in antiquis fabulis vitiatæ apparuerint, quod profecto longissime a nostris moribus abhorret. Nempe, ut mea fert opinio, propter mulierum apud veteres conditionem res ista sese habuit. Nihil enim erat græca mulier nisi uxor procreandis civibus, si liberali ortu, aut meretrix, si servili, viris oblectandis destinata. Nullam personam agebat puella in scena, dum innupta aut intemerata maneret, quippe quæ res potius quam mulier esset. Quapropter in græcis aut latinis fabulis, ut amantem semper juvenem, ita amatam semper, nunquam fere ipsam amantem virginem videmus; minoris momenti erant virginis affectus aut amor, quam ut spectatores valerent commovere. Inde tot virgines quibus vi-

tium, id est damnum oblatum est, poetæ in scenam protulere, quum nullo alio pacto, nisi partu, talibus personis possent spectantium conciliare animos. Inde etiam suspicari possumus, quam sæpe et impune in antiquis illis temporibus talia facinora admissa fuerint, quæ in rem quasi venalem, non in mulierem, id est in civem, ut apud nos, fiebant (1).

Nunc vero mihi incumbit ut quid et quo modo in dramate egerint Parmeno, Menedemi servus, et Simo, Aeschini pater, paucis verbis expediam. A Parmenone, utpote minoris ponderis persona, ordiar. « Servus bonæ frugi, ait Gellius, quum pro foribus domi staret, et propinquare partum herili filiæ atque omnino vitium oblatum igno-

(1) Vid. in Adelph. Hegionem tale facinus excusantem :

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia :
Humanum est.
Act. III, sc. V.

Cf. Micionis in eadem fabula verba :

Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum; magnum, at humanum [tamen :
Fecere alii sæpe item boni.
Act. IV, sc. V.

Cf. Plaut. Cistell., act I, sc. III.

Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Isque hic compressit virginem adolescentulus.

Cf. de dura mulierum apud antiquos conditione. Plaut. Mercat. Act. IV, sc. VI.

raret, gemitum et ploratum audit puellæ in puerperio enitentis. » Quo autem pacto fieri potest ut et servus, si in urbe habitaret, et pater omnino eam rem ignoraverint, nam ea res, ut Gellius indicavit, clam patre fuerat? Id parum verisimile videtur. Quanquam ex versu Cæcilii supra citato,

Placere occœpit graviter, postquam est mortua,

augurari licet viduum fuisse Menedemum, atque ideo ignorare potuisse quod sane mater nunquam ignorasset. At perspicuum est Parmenonem pro foribus domi stare ut spectantibus, quæ domi fiunt, vivis vocibus tradat. Nostris vero temporibus scriptor, si eamdem materiam decenter tractare potuisset, rem forte jam pridem factam famulo narrandam commisisset, ut et ipse Menander; sed apud Menandrum res præsens agitur; audit servus ploratum ac gemitum puellæ in puerperio enitentis; forsan et spectantes audiunt (1); timet servus, irascitur, suspicatur,

(1) Vid. in Adelph.

Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.
Act. III, sc. V.

Idem versus legitur in Andria, act. III, sc. II.
Cf. Plaut. Aulul., act. IV, sc. VII, v. 10.

Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet.
Juno Lucina, tuam fidem!

miseretur, dolet; timent et spectantes, irascuntur, suspicantur, miserentur, dolent. Nihil in scena tardum aut frigidum; calent omnia et vivunt. Huc primum animum inclinabam ut crederem inde initium Plocio fuisse, quo initio nullum magis ad capiendos spectantium animos aptum et idoneum posset reperiri; sed quæ tantum exordium sequerentur? Placidiora esse solent, nisi ars desit, rerum principia, rectiusque ille facit qui

> Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
> Cogitat.

Rem igitur in medio relinquam.

Parmenonem vero quoddam quasi vinculum utriusque familiæ, id est Menedemi et Simonis, fuisse arbitror. Nihil pro se agit; herum amat herique filiam; quidquid dolent aut gaudent, dolet ipse et gaudet, et quemque animi affectum vultu ac sermone significat. Scenam, si quando vacat, occupat, spectatoresque, postquam diversos præcipuarum personarum motus et affectus viderunt ac senserunt, eosdem iterum in servo, qui totum se hero devovit, rursus vident ac sentiunt : cæterum Parmenonem merum Menander effecit philosophum, honesta omnia magno animo amplectentem, eleganti ac docto sermone utentem, quod satis declarant fragmenta

supra in delineanda Menedemi persona usurpata, in quibus hunc versum legimus tanta verborum venustate tantaque sententiæ veritate insignem :

εἶχεν δὲ παραπέτασμα τὴν ἐρημίαν.

Illud forsan novum et audax talem servum in antiquis illis temporibus a poeta fuisse in comœdia descriptum et in scenam missum; addam et Menandro dignum (1).

Nunc denique quid sentiam de Simone dicam. Vidimus Aeschini matrem, Crobylam, filio ne uxorem pamphilam duceret vehementer obstitisse, quippe, illo remoto obstaculo, fabula non procederet, vel, quo verius dicam, citius procederet. Gradatim enim in dramate proceditur, quoque plura incidunt improvisa pericula aut submovenda obstacula, eo jucundior est exitus. Nullus vero potest esse nodus, nisi sit qui nodum solvat. Hoc præsertim agit in Plocio Simo, infelix ille Crobylæ maritus. Dominam quidem domi certe habet,

ἥ γ' εὔγνωστος ὥς μ' ἔχει γυνὴ
δέσποινα.

qua jubente ancillam suam venumdedit, nempe ut in uxoris gratiam rediret; sed tempus erit

(1) Vid. Plaut. Trinum. Stasimum, non ita dissimilem Menandræi Parmenonis servum, in scenam inducit.

quum mortalium etiam placidissimus, quamvis omnia adhuc animi imbecillitate, vel potius lenitate quadam concesserit, femineum tandem jugum excutiet, et dominum se, expressa voluntate, profitebitur. Non sua, sed aliorum causa, altiores sumet spiritus, ubi filium, aut filiam, aut vicinum egenum, injuriis quas ipse patitur viderit obnoxios. Nec dubitari potest quin Simo, propter suas cum divite muliere nuptias in infortunium delapsus, a simili fortuna filium deterrere voluerit, quod præterea solemnibus Menandri sententiis aptissime congruere videtur. Sæpe enim ad talia redit, ut in his fragmentis quæ apud Stobæum leguntur :

Πατρῷ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα·
τὰ μετὰ γυναικὸς δ' εἰσιόντ' εἰς οἰκίαν
οὔτ' ἀσφαλῆ τὴν κτῆσιν οὔθ' ἱλαρὰν ἔχει (1).

Ὅστις γυναῖκ' ἐπίκληρον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν
πλουτοῦσαν, ἤτοι μῆνιν ἐκτίνει θεῶν,
ἢ βούλετ' ἀτυχεῖν μακάριος καλούμενος (2).

Ὅταν πένης ὢν καὶ γαμεῖν τις ἑλόμενος
τὰ μετὰ γυναικὸς ἐπιδέχηται χρήματα,
αὑτὸν δίδωσιν, οὐκ ἐκείνην λαμβάνει (3).

(1) Serm. LXVIII, 28.—Cleric., p. 232. (2) Serm. LXXII, 11. —Cleric., p. 233. (3) Serm. LXX, 5.—Cleric., p. 230.—Cf. Juven., sat. 6, v. 140-41.

Libertas emitur : coram licet innuat atque
Rescribat; vidua est, locuples quæ nupsit avaro.

Dignum sane fuit illo poeta et eximio eodem philosopho, qui omnem vitæ imaginem expressit (1), et cujus servata fabularum fragmenta tanta sententiarum gravitate pollent, hunc Simonem, hominem, ut ita dicam, tam humanum, remque simul tam moribus corrigendis veræque virtuti excitandæ idoneam omnium ante oculos in scenam produxisse. Non unus enim est ex isto poetarum grege Menander, qui, ut risum moveant, homines aut stupidos aut deformes tradunt spectandos, atque indignam humanæ fronti labem inurunt. In ejus fabulis, sicut et in illius comicorum principis, Molierii nostri, operibus, semper homini, etiam si deridendus spectantibus proderetur, superesse nonnihil debuit quo rationis nostræ adhuc agnosci posset excellentia (2). At ista, dicet aliquis, gratuito proferun-

Cf. Plaut. Asin., act. I, sc. I. — Argentum accepi, dote imperium vendidi. — Cf. ibid., act. IV, sc. II. Faxo ut scias quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.—Cf. Aulul., act. III, sc.V. — Cf. Mil. Glor., act III, sc. I. — Cf. Mercat., act. IV. sc. III. — Cf. Epidic., act. II, sc. I.

(1) Quint. Inst. Orat. X, 1.

(2) Unum exemplum, ne obscurior maneat sententia mea, sumam ex illa comœdia, cui titulus est : *l'École des Femmes.* Arnolphus, postquam multa minimeque ætati suæ atque ingenio congruentia dixit, ac sese ridiculum omnino præbuit, hæc secum murmurat, act. V, sc. IV :

Jusqu'où la passion peut-elle faire aller !

tur, ac nullo nituntur argumento ? Supersunt tamen quædam apud Nonium ex latino Plocio, quæ me in illam hypothesin adduxerunt, et ipsam, ut spero, quodam modo probare poterunt. Illa enim, bona quadam fortuna, non e mimicis istis verbis et sententiis exstant, quæ, ut jure dixit Gellius, præclaro ac faceto Menandri sermoni Cæcilius inculcavit, sed ex istis quæ procul dubio ad rem ipsam et veram Plocii materiam pertinebant.

Primum, contendit Menedemus ut filiæ jus reddatur, cujus dedecus celare voluisset, nec potuit (1).

Ibo domum; ad plebem pergitur: publicitus defendendum est (2).

Non videtur Simo hæc verba dixisse, sed Menedemus. Hic enim idem statuit agere quod Sostrata, in Adelphis, mater et ipsa vitiatæ virginis (3). Mallet certe Menedemus aut filiam nu-

Vera equidem ac pulcherrima verba, quibus se pœnas intempestivi amoris dare, quum ridiculæ suæ insaniæ conscius sit, profitetur, humanamque rationem sese, quamvis parum in præsenti sanum, servasse significat!

(1) Vide Parmenonis verba jam citata : ὦ τρὶς κακοδαίμων, etc.

(2) Nonius, in *publicitus*.

(3) Act. III, sc. II :

Hoc reliquum est,

bere, aut filiæ saltem partum latere (1); quum neutrum fieri potuerit, pergere se ad plebem declarat. Res ejus, filia scilicet, vitiata est; rogabit apud judices ut allatum sibi damnum resarciatur. Quid justius moribusque antiquis aptius inveniri possit? Versus vero qui sequitur nulli convenit, nisi Simoni, qualis a Menandro conceptus apparet :

Opulentitate nostra sibi injuriam faciam (2).

Quod verbum, sive honesta indignatione commotus, sive uxorem pauperi exorans pronun-

Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mi sum, a me culpam hanc procul esse,
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam, Geta,
Experiar.

Act. III, sc. V :

Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea.
Quod vos jus cogit, id voluntate ut impetret.

Andria, act. IV, sc. VI :

Coactus legibus
Eam uxorem ducet.

Lex erat Athenis, Τὸν βιασάμενον κόρην, αὐτὴν γαμεῖν, quam laudant Syrianus et Marcellinus in Hermogenem. Vid. Sam. Petiti Leg. Att., p. 446. — Cf. Plaut. Aulul., act. IV, sc. X.

Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.

(1) Cf. Plaut. Aulul., act. II, sc. III, v. 10.

Quod celatum est atque occultatum usque adhuc, nunc non potest.

(2) Nonius, in *opulentitas*.

tiaverit, pulchrum et humanum in primis merito dixeris. Si cum hoc alium versum conferas,

Ibo ad forum, et pauperi tutelam geram (1),

nullus jam erit, aut ego fallor, dubitandi locus (2). Quam enim injuriam sibi a divite factam pauper apud judices persequeretur, nisi vitium filiæ suæ a divitis filio, ut patet, oblatum? Quo modo opulentitate sua pauperi facere injuriam dives posset, nisi vitium virgini oblatum nuptiis reparare recusaret? Talem vero injuriam fieri Simo non vult; ac postquam rem uxori odiosam in animum insinuare tentavit, quod testari videntur verba illa superiori loco citata, quibus, aut nullis unquam aliis, debebat cor socrus exulceratum permulceri :

Tu nurum non vis odiosam tibi esse, *quam rarenter videas ;*

postquam oravit, omnia divina et humana invocavit, omnes denique persuadendi modos adhibuit, nec quidquam profecit, tum magnum capit consilium, ac virili tandem voce, toto

(1) Nonius, in *paupertas.*

(2) Cf. Verba Hegionis in Adelphis, act. III, sc. V :

Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.

cubito major, frustraque obstant Crobyla, exclamat :

Ibo ad forum, et pauperi tutelam geram.

Credo, post tanta ac tam virilia verba, victam eo primo die Crobylam recessisse, nec tamen proprii ingenii subito fuisse oblitam, ut opinari licet ex hoc Cæcilii versu :

Abi intro, atque ista hæc aufer: tamen hodie extollat nuptias (1).

Victa ergo mulier paululam tamen victoriam reportavit; nuptias in crastinam diem distulit.

Non satis compertum habeo an Menandræo Plocio talis fuerit exitus, taliaque Crobyla verba dixerit; at certo scio Cælilium, si hunc versum invenerit, Menandro se dignum præstitisse. Quæ vero fuisse conjicio præcipua Plocii lineamenta, quo facilius tota nunc explanatio, mihi adhuc minutatim scripta, legentium animis comprehendatur, quam paucissimis verbis resumam.

FABULÆ ARGUMENTUM.

Filia hominis pauperis, Pamphila nomine, in pervigilio vitiata est : ea res clam patre fuit, et habebatur pro virgine. Ex eo vitio gravida men-

(1) Nonius, in *extollere*.

sibus exactis parturit. Homo pauper, vitiatæ virginis pater, Menedemus, ex agris in urbem commigravit et vicinum habet Simonem, Crobylæ, divitis, sed deformis et morosæ mulieris, maritum, Aeschinique et Antiphilæ patrem. Menedemus cum Simone, utpote vicino, consuetudinem junxerat, Pamphila vero cum Antiphila, ut inter virgines solitum. Aeschinus Pamphilam amat, post partum an ante partum, prudens an imprudens, incertum est. Si post partum, Pamphilam propter hoc in matrimonium poscit quod se virginis vitiatorem agnoscit; si ante partum, timet, suspicatur, irascitur, dolet, donec quid rei sit compertum et plane perspicuum habeat. Quod ita fit. Pamphilæ olim, sibi quidem ignotæ, monile, quum vitium noctu offerret virgini, detractum, seu forte, seu consilio, futurum scilicet rei indicium, servaverat, sororique Antiphilæ dono dederat. Antiphila autem, dum ægrotantem Pamphilam invisit, datumque sibi a fratre monile gerit, rem omnem detegit. Non tamen ideo facile et expedite nodus solvitur, nuptiæque fiunt. Obstat Crobyla, Aeschini mater, nurum indotatam omnino respuens et matronalis conscia auctoritatis. Menedemus vero, quum justas filiæ nuptias sine controversia nequeat impetrare, suum se jus publice persecuturum denuntiat,

auxiliante Simone, qui, postquam uxorem frustra pro vicino paupere oravit, maritalem demum significat voluntatem. Nuptiæ celebrantur, non præsenti tamen die, sed crastino, ne citius tot annorum imperium penitus eversum fœmineaque natura immutata videatur. Servus quidam bonæ frugi, Parmeno, varios personarum affectus speculorum more reddit, pulchrasque edit sententias et fabulæ denique occupat intervalla.

Eam ergo fere fuisse, nisi audaciorem me, quod vereor, conjectura præbuerim, Plocii materiam arbitror, qualem certe deprehendisse mihi videor ex Auli Gelli narratione, ex servatis utriusque fabulæ fragmentis, et ex illis quæ naturæ ac rationi congruenter concludi possunt. Non me fugit desiderari in tali materia debuisse hanc vim comicam qua ipse Menandri imitator Terentius indiget; non tamen hoc obliviscendum puto, quod tam vere ac scite dixit Quintilianus, Menandrum scilicet omnem vitæ imaginem expressisse. Vera autem vitæ imago nec illa tragicorum tristitia, nec nimia illa quorumdam comicorum festivitate omnino posset effingi; sed, ab extrema utriusque parte æque remota, ex utraque tamen constat et denique perficitur. Menander igitur, ut sese ad hoc exemplar informaret,

fabulas omnes ex medio sumpsit, unde facile intelligitur, quod nobis ab antiquis scriptoribus traditum est, Menandrum sæpissime a Philemone, haud pari ingenio poeta, fuisse victum, quum alter veros homines verosque hominum mores, paulo gravioris forte philosophiæ, ut qui comica opera scriberet, studiosus, repræsentaverit (1), alter autem, ad veritatem minus quam ad delectationem respiciens, grata rerum novitate variaque nodorum implicatione spectantium sibi animos pariter atque oculos conciliaverit (2). Quod si, quale ego restituere tentavi, tale fuerit Menandri Plocium, affirmare non dubitaverim

(1) Theophrasti discipulus fuit, cujus nostro poetæ profuit sine dubio spectata illa in deprehendendis et vere ac facete delineandis hominum moribus calliditas. — Euripidem etiam, cui fuit ingenium philosophorum ingenio consentaneum, admiratus maxime est et secutus, ut testatur Quint. Inst. Orat. X, 1.

(2) Non tamen inde arbitrari licet nullam a Menandro varietatem in inveniendis et componendis fabulis adhibitam fuisse. Etsi in Terentio ista ars fabulas variandi desideratur, non ideo potest merito ac jure concludi Terentium, ut fabularum rem et sententias, ita et istum morem, haud sane laudabilem, a Menandro accepisse. Terentii enim fabulæ, quum plerumque ex duplici argumento constent, aliæ aliis propter hoc ipsum similiores ac quasi cognatæ videntur, quamvis cæterum satis variæ et res et personæ et sententiæ sint. Ipse in prologo Heauton-Timorumenu profitetur sese non ex duplici, sed ex simplici argumento duplicem fecisse fabulam. Illam componendi comœdias rationem jam sibi perpetuum in usum verterat.

ex illa fabula, in qua absimiles et conditione et moribus personæ tam variis affectibus agitantur, in qua et pauperis curæ et divitis miseriæ tam veris coloribus depinguntur, non parvam voluptatem nonnullamque utilitatem homines cœpisse.

An ego fallor? an, vana deceptus imagine, falsum pro vero Menandrum effinxi, atque hunc doctissimum elegantissimumque vitæ imitatorem, dum unius ex operibus exquisitis quæ olim edidit, restitutionem ego molior, impia quadam mortuorum ac sepulchri violatione, contaminavi? Mihi quidem utinam, qualiscumque fuerit laboris exitus, tam temerarii consilii venia concedatur! Utinam præsertim ipse Menander aliquando ex istis emergat ruinis, quibus nunc oppressus jacet, et has obscuriores conjecturas vivo ac splendenti integri operis fulgore extinguat!

FINIS.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XIV kal. nov.,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

ÈQUE
LLE.
RGES.
NCS.
rimenr.
28.

L'ART
DU
MAITRE DE FORGES,
OU
TRAITÉ THEORIQUE ET PRATIQUE
DE L'EXPLOITATION DU FER
ET DE SES APPLICATIONS
AUX DIFFÉRENTS AGENTS DE LA MÉCANIQUE
ET DES ARTS;

PAR M. PELOUZE,
EMPLOYÉ DANS LES FORGES ET FONDERIES.

Tome premier.



PARIS,
MALHER ET COMPAGNIE,
LIBRAIRIE SCIENTIFIQUE ET INDUSTRIELLE,
PASSAGE DAUPHINE.
1827 — 1828.